



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. VVillibaldus Ep. 7. Iulii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

.Iulii.
uisquis
s. De-
obilis
um ex
duxit,
primâ
cujus
re vel
on nisi
atiens
animi
a cum
n diu,
ta fuit
inter-
duxit
is ser-
, dum
mpéra-
ntavit.
iseros
longè
is erat
t. Ipsa
ssimas
bitaret
ncto-
ncum-
us co-
d tem-
udicij
VIL.

S. VVILLIBALDUS EP. 7.Iulii.

ANIMÆ cælo natæ eheu ! exilium amamus,
patriæ obliviscimur. At non ita VVILLIBAL-
DVS è regiâ Anglorum stirpe pulcherrimus floscu-
lus. Vix enim mundum sequé adeò circumspexit,
cum illico peregrinum agnovit, ideoque exire
hinc quām ocyūs, nec solus voluit, sed in lauda-
tissimi facinoris societatem VVun'ebaldum Fr. &
VValpurgam sōrorem, quin Richardum etiam
regem parentem excivit. *Si nescis, Pater, peregrini
hic etiam reges sumus. Quin igitur is, quò SS. virorum
per omnem orbem vestigia, atque adeò Christi te ducunt.*
Exi, ah! exi regno ! nisi exis, scilicet efferere. Ergo
purpura penulæ, sceptrum baculo, corona galero
cedit; atque ita digna Regibus Anglis expeditio
Romam, inde Hierosolymam adornatur. Ulti-
mum, ut hanc etiam suæ peregrinationem cruces
comitarentur, in illo itinere patrem, in hoc ocu-
los amittit. Recepit tamen hos ad urbem sanctam
appulsus, vidiisque deinceps tam bene, ut excæ-
catis tum à Gentilitiâ superstitione Germanis
dux à Gregorio Pont. datus fuerit, quem qui-
dem annis XXXVI. egregiè præstítit, & nobis-
lem hodie Episcopatum Eystetensem condidit.
Sed inter omnia ejus (quæ multa & immorta-
lia) facinora, illud princeps est, parentem è
regno secum ad D E V M abduxisse. Eant nunc
deliri senes, querantur ultimo ætatis admini-
culo orbari sese, ubi è mundo filius abit. Ab-
eundo VVILLIBALDVS, an non parenti scipio
fuit? *Ex Philippo Eystet.*

*Semper tibi displiceat quod es, si vis pervenire ad id,
quod nondum es. nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti.*

P

Semper

Semper profice; noli in viâ remanere; noli retro redire;
noli deviare. S.August.serm.5.de verb.Apost.

S. PROCOPIUS M. 8.Iulii.

SAulum aut Saulo simillimum Neaniam vides: quippe à Diocletiano Alexandriam missus, quod Christianos illic exscinderet, & ipse Christum obvium habuit, & quidem è cruce sibi loquentem. Multum igitur se aberrasse animadveriens aliam viam deinceps ingressus est, & fabrificeri sibi ex auro crucem fecit illi geminam, quam nuper viderat. Hæc signa vix intulit Agarenis, cum nobilem victoriam abstulit. Sed, quod mire, victori bellum alterum, bellum crudele mater movit, quæ pietatem filii, quâ fractos pedibus aureos argenteosque Deos pauperum manibus in spolium jussit cedere, sub impietatis nomine ream egit. Sed vincito omnibusque tormentis exercito patronus cum Cælitibus Christus adfuit, & sanguine jam suo pulchrum sacrâ undâ amplius lavit, & abhinc PROCORIVM dixit. Atque hic ille PROCOPIVS est, qui unus contra omnes carnificum manipulos sterit, quique prius quam gladio cervicem ipse, sibi Tyrannum non unum subjecit. Qua in re iterum Paulo similem illum rectè dicemus; in illo etiam superiorem, quod Christo moriturus filius matrem peperit. Ex Metaphr.

Si invenis melius, quam videre faciem DEI, illuc te prepara: ve tali amori tuo, si vel sufficaris aliquid pulchrius, quam est ille, à quo est omne pulchrum, quod te teneat, ne illum cogitare merearis. S.August. in psal.43.

S. CHI-